



1781/1
26
28
1785 3

VARIAE IVRIS SENTENTIAE

Q V A S

P R A E S I D E

D. ERNST GOTTFRIED CHRISTIANO

K L V G E L

IVR SAX. P. P. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE
INFERIOR. MARCHIONATV ET COLLEGII ICTOR. WITTEN-
BERG. ASSESSORE ORDINARIO

DIE XI. IVLII A. O. R. M DCC LXXXV.

H. L. Q. C.

DEFENSVRVS EST

A V C T O R

GVILIELMVS FERDINANDVS FISCHER

SCHROELA - THVRINGVS.

WITTENBERGAE

TYPIS VIDVAE E. IO. CHRISTOPH. TZSCHIDRICH.

VARIATIONES HINC SEQUENTUR

2748

RESISTE

D. ERNSTO C. FERD. CHELINO

K. V. G. E. L.

IN AUSTRIA VIENNA

IN AUSTRIA VIENNA

IN AUSTRIA VIENNA

IN AUSTRIA VIENNA

IN AUSTRIA VIENNA

IN AUSTRIA VIENNA

IN AUSTRIA VIENNA

IN AUSTRIA VIENNA

IN AUSTRIA VIENNA

IN AUSTRIA VIENNA

IN AUSTRIA VIENNA

IN AUSTRIA VIENNA

IN AUSTRIA VIENNA

IN AUSTRIA VIENNA

IN AUSTRIA VIENNA



I.

Singulare ultimae voluntatis caput.

Scripsit nuper testator quidam in ultima voluntate sua haec verba: Caius soll mein Erbe seyn, und Sempronia, weil sie mich so gut gewartet und gepflegt hat, soll nichts haben. Iam, publicato testamento, heredes ab intestato clamitabant, hanc voluntatem ultimam nullitate laborare, dum innuerent verba ultima, ratione Semproniae in testamento scripta, testatorem tempore conditi testamenti non integrum habuisse rationis usum, cum homo sanae rationis alterius beneficio ornatus huic potius aliquid tribuisset, quam eum pro meritis suis ab hereditate exclusisset. Etsi vero ea quae haecenus de heredibus ab intestato narraui, non sine omni ratione opposita videantur, nihilominus tamen, hoc testamentum, cum nullum aliud adsit vitium, de iure subsistere sum persuasus. Cum enim liberum sit cuiunque heredem, quem velit, in testamento sibi scribere, modo non laedatur persona, cui legitima debetur, et quaeunque ab intestato succedentem, vel alium de se optime meritum, omni ratione exclusionis in testamento omissa, praeterire, conficitur, ut testamentum cui addita est falsa, aut absorta, aut ludicra ratio exclusionis, eodem modo valeat, ac id in quo ratio exclusionis deficiat. Rite porro in testamento, cuius mentionem feci heredis institutio facta erat, quae vitari nequit per verba, quae testator ratione Semproniae scripsit, cum utile per inutile vitari non debeat. Neque statim ex verbis: weil mich Sempronia gut gewartet und gepflegt hat, so soll sie nichts haben, colligi potest, testatorem integro rationis usu caruisse, cum praemia non semper merita sequantur, et ex eo, quod is, qui beneficium accepit, ingratus existit, colligi nequeat, cum sana mente esse destitutum. Addidit denique forsitan testator illa verba, ut Sempronia in

posterum discat cautius mercari, et, si forte Sempronia, quae fecit, lucri causa fecit, haeredipetae nihil deberi, indicare voluit. Neque nocet, si ioci causa testator hoc adscripserit, cuius exempla multa legimus in *Tit. D. de Condit. instit.*

II.

Habet quoque appellatio, quam per saltum vocant, effectum suspensiuum.

Expediti iuris est, appellationem semper fieri debere ad iudicem proxime superiorem, ita ut prouocatio ad iudicem non immediate superiorem illicita sit, et vulgo per saltum facta dicatur. At si nemo nihilominus aliquem eiusmodi prouocatione vri, eritne huic effectus suspensiuus? Non nisi affirmatiue respondendum esse censeo, modo alias fatalia rite sint obseruata, siquidem iudex a quo non iudici proxime superiori solum, sed et huius superiori reuerentiam debeat, illique pendente appellatione ulterius in causa procedere non liceat. Est enim superioris mei superior etiam meus superior. Nulli praeterea huic remedio effectus suspensiuus denegatur, et in dubio remedio interpositum effectum aliquem magis esse tribuendum, quam denegandum in foro creditur. *Riuin. ad O. P. V. S. Tit. XX. Ep. XI.* Docet denique *Garpz. in Proc. Tit. XVIII. Art. I. n. 39. 40 et 50.* non iure communi solum, sed etiam nostro saxonico iure appellationem per saltum factam ad iudicem immediate superiorem esse remittendam.

III.

Filius a vidua, quae intra annum luctus novo marito nupsit, natus, nec a successione in feudum nec in allodium arcendus est.

Non permittunt nostrae leges viduae post mortem mariti intra annum nouum iungere sibi maritum. At cum fieri possit, ut hac prohibitionem non obitante, ex errore, aut ex ignorantia, aut etiam dolose, si sci-

si scilicet extra territorium forsitan benedictionem sacerdotalem accipiat, intra annum luctus nouo nubat marito, quaestio oritur, an filius ex ea natus tam allodialis, quam feudalis successione sit capax, nec ne? Vix adest idonea dubitandi ratio. Licet enim in l. r. *D. d. h. q. not. inf.* eiusmodi vidua et ille, qui eam intra annum luctus ducit, immo etiam parentes, qui id fieri pariuntur, infamia uentur, hoc tamen ad filium, qui ex eiusmodi matrimonio natus est, non pertinet, cum delicta teneant suos autores. Statuunt praeterea ne hodie quidem hanc poenam vlti feruari *Stryck U. M. D. Lib. 3. Tit. 2. §. 8.* Deinde nec a successione allodiali nec feudali ulla lege arcentur. Neque obesse potest filio quoad successione benedictio sacerdotalis extra territorium a parentibus impetrata, cum hoc, vt intra territorium fiat, solummodo boni ordinis gratia sancitum sit, atque nulla lege quoad effectus matrimonii ratione benedictione sacerdotalis extra territorium securae distinguatur. Quis tandem delicta parentum filio impuret?

IV.

Dispositio Ord. Pol. Sax. de Ao. 1661. Tit. 8. §. 1 et 2. quoque ad ludos artis pertinet.

Intellexere iam romani legislatores, per nimium vsum ludorum magnum reipublicae damnum afferri, ideoque libertatem ludendi variis limitibus circumscripserunt. Prohibuerunt scilicet, vt apparet ex l. f. *C. de aleator.* ludos, qui fortunae et mixti vulgo appellari solent, permissis solum quos vocant artis ludibus, l. 2 et 3. *D. de aleator.* Nec minore hac in re prudentia vsi sunt nostri Saxoniae legislatores, quod probat, praeter alias leges *Ord. Pol. Sax. de Ao. 1661.* quippe quae *Tit. 8. §. 1 et 2.* fortunae ludos ita tantum exerceri patitur, ne nobilis vltra vnum thalerum, cuius honestioris conditionis vltra duodecim grossos, cuius inferioris conditionis vltra quatuor, et rusticus vltra vnum grossum intra mensem ludendo perdat. Cum vero *Ord. Pol.* citata solum de his ludis disponat, quos fortuna aut sola, aut quadam tantum addita arte, regit, operae pretium esse



esse videtur inquirere, vtrum quoque haec sanctio ad artis ludos extendenda sit? Nec est, quod dubitemus. Ratio enim huius legis, quae procul dubio est, ne quis ludendo patrimonium suum distrahat, omnino patitur extensiuam interpretationem, cum vnus dispositio non sit alterius exclusio. Nec silentio praetermittendum, si scilicet in casu allato interpretari extensivae locum non dederis, dispositionem quoad ludos mixtos in *Ord. Pol. Sax.* quam facillime posse interuerti, dum loco ludi mixti homines lusum artis eligerent atque pro lubitu pecuniam perderent. Et quis est, qui non videat, hoc modo sacram principis voluntatem parum custodiri. Hinc statuendum censeo, eandem quantitatem, quam *Ord. Pol. cit.* definit, in lusibus artis, in eo quoque quam vulgo Billard appellant, et qui sine dubio elegantissimus lusum artis est, esse seruandam. Accedit, in eadem lege in principio laudati capituli verbis expressis in ludis artis omne lucrum excludi, siquidem scriptum est: *stellen wir zwar künstliche Spiel, welche den Verstand zu schärfen vergönnet, wenn nur dieselben nicht Gewinns halber angestellet, an ihrem Ort.* Et hodie quidem id minus dubii, cum *Mand. Elect. d. d. 20. Dec. 1766.* omnis ludus, qui cum magni damni metu coniunctus est, (*hohe Spielen*) sit vetitus. Quodsi tamen auctoritate publica in ludo artis aliquo plus, quam in *Ord. Pol.* permissum, conferatur, et eiusmodi collatio tacito vel expresso principis consensu approbata, quo refero lusum, quem das *Wogelschießen* vocant, merito regulam esse limitandum opinor.

VI.

Quid sit Morgengaba.

Dispefcitur teste Ill. Schottio in *Instit. Iur. Sax. prio. Cap. II. §. 14.* Morgaba in vulgarem et legitimam. Hanc consistere scribit in certis rebus, quas ex praediis mariti mortui vidua nobilis accipit, vt eius propriae fiant. Illam vero variis modis definiunt DD. Primo Bergerus in *Oec. Iur. p. 137.* et Mollenbeccius in *Thefauro Iur. Ciuil. L. 23. Tit. I. n. 38.* eam describit per donum, quod datur a nouo marito nouae vxori altero nuptiarum die in primum delibatae, virginiratis. Hanc vero descriptio-

nem

nem falsam esse ex eo facile probatur, cum quoque vidua, quippe quae virginitate caret, Morgengabam accipiat. Porro Engau in *El. iur. germ. lib. 1. tit. 25. §. 363.* putat, eam esse donationem, quae postridie nuptiarum in signum apprehensae possessionis thori datur. Cum autem secundum testimonium *Iul. Bernh. de Rohr. de scientia Cerem. Personar. illustr. P. 1. C. 20. §. 32.* morgengaba inter personas illustres statim post sacerdotalem benedictionem, et itaque ante consensionem thalami secutam dari soleat, quisque facile intelligit, hanc notionem morgengabae non ubique respondere. Ne ea quidem plane sufficere videtur descriptio, quam Ill. Schottius exhibet, quod pace tanti Viri dixerim, qua, morgengabam, affirmat, esse donum matutinum nouellae uxori a marito datum primo die post noctem nuptialem, siquidem hic quoque, quae de Rohr obseruauit, videntur ob stare. Quid igitur? num forte ita melius rem componam, si definiam morgengabam per donationem simplicem a lege approbatam, quae a nouo marito post benedictionem peractam sacerdotalem fit nouae uxori. Verba, a lege approbatam, ob hanc causam in definitione necessaria sunt, quia donationes inter coniuges regulariter sunt prohibitae. *I. P. S. L. 1. art. 31.*

VI.

Stuprata famula ob stuprum commissum expulsa a domino vsque ad tempus, quo partum edit, a stupratore alimenta et mercedem, qua carere debet, nec non ea, quae gemellos peperit, duplicem dotem frustra perit, non autem duplicia alimenta.

Quod ad primum attinet, inquis forsitan, aliquam iniquitatem sapere, si ancilla ob stuprum quod commisit a domino expulsa mercedem, qua carere debet, et alimenta vsque ad tempus partus editi a stupratore, qui tamen causa stupri, ergo expulsionis quoque est, petere non posset. Sed ita merito ponendum est. Non potuisset enim stuprator, non conficiente stuprata, (de violento enim stupro, rarissimo illo crimine, sermo non est, neque, si hoc esset, facile herus sine summa necessitate afflictæ per expulsionem afflictionem adderet) stuprum perpetrare, igitur ipsa



ipsa in eadem culpa, aut si nauis delicto, versatur, atque hinc hoc damnnum propria culpa sentit. Silent nimirum etiam leges actionem stupratae hac ratione competentem. Potest porro, licet grauida sit, victum sibi quaerere. At stuprator, ais, tamen praecipua delicti causa est, quia stupratoriam per molles persuasiones ad stuprum committendum induxit. Sed quam saepissime stupratoras quoque ansam dare stupro, quis est, qui rarum putet? Quod denique ad hoc, num ea, quae gemellos peperit duplicia alimenta petere possit, id sine dubio certum est: sed dotem etiam eam duplicatam postulare posse, hoc merito negabitur. Non enim fit per gemellos stupratae conditio nubendi grauior, cum horum nomine iam alimenta accipiat, et ob hanc causam non maiore incommodo maritum afficiat, ac illa, quae ipsi vnicum intulit partum. Praeterea dotis petitio non parus, sed proprie stupri causam habet. Dos enim datur pro matrimonio, quod stuprator potest eligere. Ducere autem debebat stuprator stupratam, non quia haec peperit, sed quia eam ille compressit.

VII.

Sponsalia a puella aegrotata cum medico iniata, sub conditione, si eam sanitari restitueret, si iudici ita videatur, possunt pro nullis declarari.

Promiserat aliquando medicus puellae graui morbo laboranti, se eam saluam redditurum fore, si cum eo superato morbo matrimonium iniret. spondebat statim ipsa, atque eius parentes spondebant. Sed sponsa, postquam ad sanitatem redierat, nuptias renuebat, excipiens, tempore sponsaliorum eius consensum liberum non fuisse, dum potius ob metum mortis et ob dolores praesentes oblatam conditionem futuri matrimonii a sponso medico accepisset. Nec ratione destituta est haec exceptio, quae potius iure, quod in omnibus negotiis liberum consensum requirit, nititur. Nemo vero libere consentit, qui ob dolores vel ex metu mortis consentit, sed potius hoc vi meruere fieri, quisque statim animaduertit. Nonne igitur iudex arbitrium suum interponere, et pro re nata eiusmodi sponsalia pro nullis declarare poterit? Iuuat hanc opinionem argumentum ex l. 3. D. de extr. cognit.



Wittenberg, Diss., 1783-85

ULB Halle


004 335 937



3

f
Sl.





17071

26

VARIAE IVRIS SENTENTIAE

Q V A S

1785 3

P R A E S I D E

D. ERNST GOTTFRIED CHRISTIANO
K L V G E L

IVR SAX. P. P. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE
INFERIOR. MARCHIONATV ET COLLEGII ICTOR. WITTEN-
BERG. ASSESSORE ORDINARIO

DIE XI. IVLII A. O. R. M DCC LXXXV.

H. L. Q. C.

DEFENSVRVS EST

A V C T O R

GVILIELMVS FERDINANDVS FISCHER

SCHKOELA-THVRINGVS.



WITTENBERGAE

TYPIS VIDVAE B. IO. CHRISTOPH. TZSCHIDRICH1.

